

stum abnegantis, &c. Aurelianus Imperator, in obsidione Thyanae urbis Bithyniae fortè per iram dixerat, se ne quidem canem vivum relicturum. Expugnata urbe milites praedam sperantes instant, ut promisso steter: Bene est, inquit Aurelianus, canem me relicturum negavi. Omnes igitur canes occidite. Facetè sanè; sic militum avaritiam elusit, & suam clementiam contestatam fecit.

9 Clementia in excessu opponitur Crudelitas, quâ quis in puniendo excedit modum.

SCHOL. Graecè dicitur *χαλεπότης*. Hujus loci sunt tyranni: Nimrod, Gen. 10. v. 9. Adoni Bezeck, Judic. 1. v. 7. Abimelech, Judic. 9. Omnes Herodes fuere crudeles. Percurratur series regum Israëli. Busiris Aegyptius tyrannus hospites immolare solitus est, ut refert Diodorus Siculus lib. 5. Phalaris Agrigentinarum tyrannus aeneo usus est tauro, quo miseri mortales inclusi bonum mugitus effingerent, unde Ovidius:

*Savior es tristi Busiride, savior illo,*

*Qui falsum lento torruit igne bovem.*

Hetrusci, inter quos Mezentii saevitia celebratur, vivorum corpora saniosis & tabidis mortuorum cadaveribus alligabant, ut graveolentiâ enecarentur, unde de Mezentio ait Virgilius lib. 8. Aeneid.

*Mortua quinetiam jungebat corpora vivis. p. 464.*

Exempla ubivis occurrunt; ex quibus apparet, rectè dictum esse, tyrannos esse conflatos ex perfidiâ & crudelitate, exemplo Phocæ saevientis in Mautitium Imperatorem. Ut autem tyranni sunt crudetes, ita etiam timidi, quod apparet in Alexandro Pheræo, qui crudelis quum esset, adeò meticulosus fuit, ut ne conjugii quidem tuto se committeret. Dionysius tyrannus rondere filias suas docuit, ne tonsori collum credere necesse haberet. Theodosii, alioqui optimi Imperatoris, crudelitas in Mediolanenses graviter reprehensa ab Ambrosio videatur apud Melanchth. in Chronicis. Verum est igitur, quod dicitur: Multos metuat oportet, quem multi metuunt. Exitus tyrannorum tragicus esse solet, juxta illud Poëtæ:

D 4

*Unde Tyranni.*